Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 965
Quelle:
Copyright:

dicentem. creaturam esse filium dei. et aduersus omnem heresem. Quicumque exsurrexerit contra catholicam et apostolicam fidem quos etiam damnauerunt in ciuitate nicea Congregati episcopi CCCXVIII. Praeloquium istud simile est illi, quod *Labbeo* T. II. *Concc.* edit. *Venet. col.* 31. visum est *Dionysio Exiguo* tribuendum. Formula ipsa *Symboli*, quod singulas dictiones adtinet, cum nullo e *tribus* ibi a *Labbeo* propositis exemplis plene concordat, et adnexa habet, quae sequuntur: *Nos patrem et filium et spiritum sanctum unum deum confitemur. Ita* (ut?) *in trinitate perfecta et plenitudo diuinitatis sit et unitas potestatis. Nam tres deos dicit qui diuinitatem separat. Trinitas pater deus et filius deus et spiritus sanctus deus et tres unum sunt. Tres itaque personae sed una potestas. Ergo diuersitas plures facit. Unitas potestatis excludit numeri quantitatem. Quia unitas numerus non est. Sic itaque unus deus una fides unum baptisma. Si quis uero hanc fidem non habet catholicus non potest dici. Qui catholicam non tenet fidem alienus est profanus est aduersus ueritatem rebellis est.* Post haec sequitur *Symbolum Athanasio* supra tributum, ut adeo *Codex* noster iis testibus addi possit, qui sistuntur *n. II. Diatribes de Symb. Quicumque*, in edit. *Opp. Athanasii Paris.* 1698. T. II. p. 721. *Symbolum* excipit *Commentarius* in ipsum, sed qui, quod dolendum, jam in versu: *Quia sicut singillatim unamquamque personam* &c. abrumpitur, antiquior certe *Hildegardiano*, qui in hujus Virginis *Operibus* et in *Bibl. PP. Lugd.* T. XXIII. p. 596. et *Brunoniano*, qui T. XVIII. p. 345. habetur, quemque *Mauriani* post *Diatr. suprac.* p. 735. repraesentavere, inscii ad *Brunonem Herbipolit.* spectare. Initium ejus est aliquantum corruptum: *Quicumque uult saluus esse — Fides dicitur credulitas est ibi credentia. catholicam uniuersalem. quia catholica uniuersalis dicitur* &c. Expositionem hanc *Brunoni* notam fuisse, non uno loco observari potest. Ultima *Cod.* pagina extat brevis *Dissertatio* de vulgo noto *quadruplici* S. Scripturae sensu hoc exordio: *Digna* (diuina?) *scriptura in duas diuiditur species id est historicam interpretationem et Intellegentiam spiritualem. Historia simplex est. spiritualis Intellegentia tripertita est. id est tropologia id est morum instructio. allegoria id est figurata dictio. anagogen id est superior intellectus* &c.

Fol. 1. p. 2. manu Sec. XII. adscripta est Lectio *Euangelii Matth.* c. 24. *Vigilate* &c. et *Homiliae* loco: *Gregorius de Prelatis et Subditis. Sciendum est nobis fratres karissimi. quod plerumque impetus carnis se sub uelamine spiritualis impetus palliat* &c. Finis: *in finem. hic saluus erit.* Depromtum ex *Homil. 5. L. I. in Ezechiel.* edit. *Maur.* T. I. *col.* 1207.

Fol. 2. p. 1. orae inferiori adscriptum: *Liber Hegeñ. ecclesie.*